

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rudolphus Redeker/ I.C. ac
Pandectarum Professor Publ. ... Ad Exequias Quas ... Henrico Kindten/
Rostochiensi, SS. Theol. & Philosoph. Studioso industrio, Frater & Soror defuncti
moestissimi Hodie ... paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum cives
Academicos amanter invitat**

[Rostock]: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771257333>


Druck Freier  Zugang





Redeker, H. R.
in H. Kindt.

Rost. 1676.

15.







RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HEINRICUS RU-
DOLPHUS Redeker/

J. C. ac Pandectarum Professor Publ.
Consistorii item Ducalis Assessor

AD EXEQUIAS

Quas

Juveni Praestantissimo



HENRICO
Kindten / Rostochiensis,

SS. Theol. & Philosoph. Studioso
industrioso,

FRATER & SOROR defuncti mœ-
stissimi

*Hodiè, dimidiâ secundâ, in Aede Nicolaitanâ,
paratas cupiunt,*

Omnes omnium ordinum cives Acade-
micos amanter invitat.

Typis Heredũ JOANNIS KILII, Acad. Typogr. 1676

RECTOR
HEINRICUS RI
DOLPHUS
J. C. ac Pabochum Paboch
AD EXEQUIAS
HEINRICUS
22. Theol & Philofof. Studio
ERRATA & NOTOR
TYPIS HEDERIS JOANNIS KILII A. 1703





SALUTEM!



Uo contendere hominem Christianum oportet, qui sibi se vult asserere, nec vitam animale[m] duntaxat, sed dictato rectæ rationis conformem trahere: primò ut rectè vivat, id est, omnia sua consilia & actiones omnes ad canonem, rectè vivendi componat & referat: secundò ut bene beateque mori discat. Hæc enim in communi tenenda studendaque omnibus sunt, præprimis qui Christiani nomen profitentur, in iis diligentem & præcipuam ponere operam, ut discant vivere, pariter & maturè discant mori. Quò siquidem emendatiùs & nitidiùs quis vitæ suæ rationem, ex præscripto legum, examinat & exigit, eò gloriosius se ad civitatem Dei componit. Hoc Deum velle, Michæus admonet, dum, *indicabo tibi, O homo, inquit, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te.* Hoc imperavit Dominus Abrahamo suo: *Ambula coram me, & esto perfectus.* A
stinus

stinus proponit, alteram terrenam, quam instruit amor sui, celestem alteram quam format amor Dei. Ex amore mundi oritur contemptus Dei, ex amore Dei autem contemptus mundi. Nemo potest duobus dominis contrariis sine suo servire exitio, nec duas, ceu bonus civis, inhabitare civitates, ut publicum inde promoveatur bonum, vel populi salus. Qui concupiscentiâ carnalium voluptatum tenetur, neutiquam is ad celestis reipublicæ consortium aspirare potest, & qui mundum diligit, in eo non est charitas Patris cœlestis. Duo, nisi me omnia fallunt, sunt Domini, Deus & Mundus: Qui Deum diligit idem ille odit & contemnit mundum; qui autem mundum, seu quod in mundo est, uti concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & vitæ pravos mores, cœlestibus præfert commodis, ille à vitæ Christianæ regulis omninò deflectit. Nec ullo modo dicitur benè vixisse, aut beatè ex hâc vitâ decessisse, qui mortum & flagitiorum cœno obrutus, ex hâc misæriarum valle, in tenebras æternæ mortis deflectit. Vivere autem & mori, uti Christianum decet, didicit Juvenis præstantissimus *HENRICUS Kind / Philosoph. & S. S. Theol. Studiosus industrius.* Is enim memor vitæ juxta & mortis, omnem impendit, ab ineunte ætate, operam, ut animi & corporis dotes sibi celitus concessas ritè elocaret; Ità enim

nim de vitâ rectè instituendâ semper fuit sollicitus, ne contra honesti decorique regulas quicquam in se videretur admittere, neque eo se daret quo nequam & infruniti seculi mancipia solent anniri. Id potius studiosè egit, ut in diversorio & pressura hâc mortalitatis disceret vivere, disceretque mori. Hinc delatus est in portum securitatis, provectus est ad metam laboris, pervenit ad triumphum gloriæ & honoris, id si clariùs exposuero, *Mortuus est beatè.* Postquam itaque corpus defuncti hodiè terræ Matri, undè originem & substantiam duxit, est reddendum, nostrum erit, non tantum frequentes ire exequias, sed etiam quæ de ejus vitâ benè actâ, & morte beatâ præscripta sunt, in honorificam præstantissimi studiosi memoriam, brevibus enarrare. Natus autem is est hic Rostochii, die septimo Septembris Anni 1652. parentibus honestis. Patre scilicet Viro Spectatissimo *Dno. Jürgen Rind* / inter coriarios Tribuno, & inter Provisores Ædis Nicolaitanæ seniore, Matre autem matronâ optimâ *Elisabethâ Biehl*. Avum paternum itidem habuit Tribunum coriariorum *Joachimum Rind* / Aviam *Annam Kühlmans*. Avus maternus ipsi fuit *Paul Biehl* / civis & mercator Rostochiensis, cujus uxor *Catharina Detloffs* / His majoribus originem suam acceptum habens, prima virtutis & eruditionis rudimenta, in hâc suâ pa-

triâ urbe jecit , dein anno 1666. Berolinum able-
gatus est , ut in Gymnasio electorali, quod ibidem
est, solidiori imbueretur doctrinâ. Biennium, &
quod excurrit, in illâ disciplinâ scholasticâ, cum
magno studiorum suorum commodo, peregit , do-
nec in Academiam Jenensem semer, suorum consi-
lio & auxilio nixus, primùm conferret. Ibi autem
magnâ cum animi alacritate & solertiâ indefessâ
studia feliciter cœpta per biennium cotinuavit,
collegiisque Dominorum Professorum, tam priva-
tis quàm publicis sedulus interfuit, fidelesque inve-
nit studiorum suorum promotores. Philosophiæ
Practicæ & Theoreticæ partes, sub informatione
Domini *M. NICOLAI*, Ecclesiastæ nunc a-
pud Lüneburgenses vigilantissimi , nec non Ex-
cell. *Dn. Felten / Dn. Hundeshagen / Dn. Gör-
zen / Professores Publ. & Dn. Grübels / Phil. M.*
absolvit. In orientalium linguarum notitiâ usus
est Præceptore clarissimo *Placotamo*. In Theolo-
gicis autem Pl. Rever. *Dn. Musæum*, nec non
Dominum Bethmannum, tanto cum ardore audi-
vit, quantâ illi cum dexteritate officio suo sunt de-
functi. Ceterum cum mater ejus laudatissima
anno 1672. ex hâc vitâ discederet, domum revo-
catus est defunctus noster *HENRICUS*. Non
equidem ut vitæ reliquum in otio transigeret, sed
ut

ut animosius, in Academiâ Patriâ,
studiorum telam pertexeret. Adeoq;
Excellentissimos Theol. Dn. VARE-
NIUM & Dn. MULLERUM, quo-
rum hic, non sine magno Ecclesiæ
orthodoxæ & Academiæ nostræ da-
mno, in vivis esse desiit, eâ, quâ de-
buit industriâ, auscultavit, patrem-
que jam decrepitum exhilaravit,
& bonis omnibus magnam sui fidu-
ciam fecit. Cum autem Pater ejus
senex vitam hanc cum morte per-
mutaret, vocatus est à Nobilissimo
Domino de Lepel, hereditario in
Gültzow, ut informationi libero-
rum nobilium præficeretur, quam et-
iam spartam egregiè sustinuit. Mor-
bo autem, quatuordecim ante die-
bus, oppressus, curâ Experientissi-
mi Domini MEJERI, Medici Gultro-
viensis Eximii, nequicquam adhibi-
tâ,

tâ, die decimo tertio hujus mensis,
placidè obdormivit.

Quoniam autem corpus exanime
Præstantissimi hujus civis nostri ho-
diè, dimidiâ secunda, in templo Nico-
laitano, terræ matrisolenni ritu red-
dendum est, nostrum erit exequias
hæcæ frequenti comitatu decorare,
illudque cum animis nostris
subindè reputare,

DISCE MORI!

*Rostochii sub Sig. Rect. 19. Junij
Anno 1676.*



nim de vitâ rectè instituendâ semper fuit
ne contra honesti decorique regulas qui
se videretur admittere, neque eo se dare
quam & infruniti seculi mancipia solent an
tius studiosè egit, ut in diversorio & pro
mortalitatis disceret vivere, disceretque
delatus est in portum securitatis, prove
metam laboris, pervenit ad triumphum
honoris, id si clarius exposuero, *Mortu*
Postquam itaque corpus defuncti hodiè t
undè originem & substantiam duxit, est re
nostrum erit, non tantum frequentes ire
sed etiam quæ de ejus vitâ benè actâ, & n
præscripta sunt, in honorificam præstar
diosi memoriam, brevibus enarrare. N
is est hic Rostochii, die septimo Septem
1652. parentibus honestis. Patre scilicet
Etatissimo Dno. Jürgen Rind / inter coria
no, & inter Provifores Ædis Nicolaitar
Matre autem matronâ optimâ *Elisabethâ*
vum paternum itidem habuit Tribunu
rum *Joachimum Rind / Aviam Annam*
Avus maternus ipsi fuit *Paul Biehl / civ*
tor Rostochiensis, cujus uxor *Catharina*
His majoribus originem suam acceptum
ma virtutis & eruditionis rudimenta, in

A 3

